

SCRIPTA

Numéro Scripta : 204

Auteur(s) : Bernard, chevalier du château d'Ivry [autre]

Bénéficiaire(s) : Chartres, Saint-Père (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1033-1069]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Bernard, chevalier du château d'Ivry, abandonne l'église et la dîme de Nantilly, avec l'accord de son seigneur Robert [Ier] d'Ivry.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Guérard Benjamin, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série. Histoire politique), 1840, 2 vol., t. 1, p. 143-144.

Indications

Bauduin Pierre, *La première Normandie (Xe-XIe siècles). Sur les frontières de la haute Normandie*, identité et construction d'une principauté, Caen, Presses universitaires de Caen (Bibliothèque du Pôle universitaire normand), 2004, p. 209-210

Dissertation critique

Les dates sont celles de Landry, abbé de Saint-Père de Chartres.

Texte établi d'après a

Neminem orthodoxæ fidei catholicæ professionis latere usquequaquam credimus, quanta excellentia, tam in presenti quam in futuro, polleant qui, pro nomine Christi, ex propriis facultatibus aliquam largitatem sanctis ac fidelibus ejus, hilari animo, prebent. Cum enim non sit possibile quemlibet hominum corruptionis suæ labem effugere, immunemque peccati in hac corruptela vivere, providit pius et misericors quasdam occasiones, seu oportunitates quibus facile nostra valeamus peccata redimere. E quibus omnibus illa duo suavius redolent medicamina, egrotanti animæ familiaria, de quibus ipsius veritatis vox sit intonat beata : Date et dabitur vobis, et iterum : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, et illud : Date elemosinam et ecce omnia munda sunt vobis, et : Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina peccatum. Unde et ego Bernardus miles de castro Ebroico, tanta adortamina scripturæ divinæ mente considerans, una cum consensu senioris mei Rodberti filiique ipsius Rodberti, ex cujus beneficio est, cedo ad locum Sancti Petri Carnotensis, et monachis ibidem Deo famulantibus, quandam æcclesiam, cum omni decima quæ in meo dominicatu erat. Est autem ipsa æcclesia in prospectu Ebroici castri, in villa quæ Nantilliacus vocatur ; estque sacrata in honore clavigeri Petri. Do itidem licentiam meis militibus, ut, si concedere voluerint ex decimis quas ex me tenent, eidem loco dent sine ullo contradictu. Et ut hoc donum firmum esset, gravi incommodo tactus, ab abbate Landrico habitum monachilem ibidem suscepi. Si quis vero (quod absit) diaboli instinctu, hoc nostræ parvitatibus donum infringere temptaverit, iram Dei incurrat ; beatus Petrus illi

contrarius fiat et inimicus, cum ceteris apostolis omnibus ; ovile Christi intrare non mereatur cujus ille claves a summo pastore accepisse creditur. Testes hujus rei sunt ii quos subscripsimus. Rodbertus miles, cum Albereda uxore, et Rodberto filio suo, et Hildeburge uxore. Rodbertus monachus et Richardus, fratres. Gualterius presbiter. Urricus clericus. Bernardus frater. Radulfus et Richardus, fratres, cum sorore Emma. Isnardus. Radulfus Pinguis Lingua. Girardus. Tiberius. De hominibus Sancti Petri : Arnulfus, Rainaldus, Gualterius, Giraldus. De monachis : Odo, Strabo, Gervasius, Herbertus presbiter, Arnulfus Rufus.